

et temporum praelationes sunt, ut vicinum quis interdum magis quam fratrem adjuverit. Quoniam et Salomon dicit: Melior est vicinus in proximo, quam frater longe habitans¹⁾. Et ideo plerumque amici se benevolentiae quisque committit, quam fratri necessitudini. Tantum valet benevolentia, ut plerumque pignora vineat naturae.

DE FORTITUDINE: QUAM SINE JUSTITIA VIRTUTEM NON ESSE,
MANIFESTIS DECLARATUR INDICII.

Satis copiose justitiae loco honesti naturam et vim tractavimus. Nunc de fortitudine tractemus, quae, velut excelsior caeteris, dividitur in res bellicas et domesticas. Sed bellicarum rerum studium a nostro officio jam alienum videtur, quia animi magis quam corporis officio intendimus; nec ad arma jam spectat usus noster, sed ad pacis negotia. Majores autem nostri, ut Jesus Nave, Hierobaal, Samson, David summam rebus quoque bellicis retulere gloriam. Est itaque fortitudo velut excelsior caeteris, sed nunquam incomitata virtus. Non enim se ipsam committit sibi, alioquin fortitudo sine justitia iniuritatis materia est. Quo enim validior est, eo promptior est, ut inferiorem opprimat: cum in ipsis rebus bellicis justa bella an injusta sint, spectandum putetur. Nunquam David nisi lacesitus bellum intulit. Itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in praelio. Nam et adversus Goliathum immani mole corporis virum singulare certamine dimicaturus²⁾, arma quibus oneraretur, respuit. Virtus enim suis lacertis magis quam alienis integumentis nititur. Deinde eminus, quo gravius feriret, iectu lapidis hostem interemit: postea nunquam, nisi consulto Domino, bellum aduersus est. Ideo in omnibus victor praeliis, usque ad summam senectutem manu promptus, bello adversum Titanas suscepto,³⁾ ferocibus bellator miscebatur agminibus,

1) Prov. 27. 2) 1 Reg. 17. 3) 2 Reg. 5.